

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0542

0540

0546

0536

0551

0531

0591

0491

0641

0441

1041

0041

Ende

Anfang

527

servatis non poterimus bene perire. Processimus ergo per incertum et timere incepimus, ne forte iam eos praeterissemus: videbatur enim nobis, quod longiorem viam ascendendo fecissemus, quam descendendo; erat autem iam nox media et de hoc omnes convenimus, ut in aliquo eminentiori loco parum quiesceremus. Eramus autem juxta monticulos arenosos duros, tamen quos in descensu non meminimus nos vidisse, cum tamen essent satis alti. Ad unum ergo monticulum ascendimus, circumspicientes, auscultantes, clamantes et ejulantes eramus, sed non erat vox, neque sensus; colligavimus ergo asellos et super terram nos locavimus, potius ad respirandum et pausandum, quam ad dormiendum, non enim erat somnus in tanta anxietate constitutis, quia filii mortis eramus et illa infelix spes nobis erat, quod forte ante omnimodam nostram defectionem incideremus manus Arabum aut Madianitarum aut Aegyptiorum, quibus sponte nos ipsos captivos tradere vellemus, quia dicente Jeremia Thren. IV.: Melius est captivis aut gladio occisis, quam interfectis fame. Finalem tamen fiduciam ad Deum, ad virginem gloriosam Mariam et ad sanctam Catharinam habuimus, quod non ita misere in deserto perire nos permetterent. Hortabamur autem nos invicem, ne sopore forte irruente opprimeremur, sed ita quiesceremus, ut tamen aures apertas haberemus, ut si forte prope exercitum essemus, quod in oneratione camelorum, bestiarum et hominum clamores audiremus, solent enim in oneratione camelii rugire et homines clamare et cantare, et istum tumultum speravimus nos audire.

Porro jacentibus cunctis et silentibus manere in illo durissimo lecto non potui, sed circuivi et cursum beatae virginis legi et ejus psalterium silentio, motu labiorum, decantavi; in circumspiciendo vidi in valle in pede montis vasti quandam umbram et cogitavi, quod esset virgultum aliquod, et descendendi tollere, ut darem asello meo, qui mecum jejunabat. Sed dum venissem ad rem, non erat virgultum, sed aridum spinetum; ab illo ergo loco ascendi in collem oppositum monticulo nostro, ut si forte ibi aliquid viderem vel audiрем, et in isto colle transivi nunc huc nunc illuc, sicut anxi et phantasiis praeoccupati sine arbitrio transferunt se de loco

